

Serie Generale 165

(ST) Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, inditione tercia, die lune in kalendis madii. Dominus Iacobus Zaci, astensis potestas, nomine communis Astensis et voluntate credendariorum prime et secunde credencie et rectorum societatum per campanam more solito congregate precepit domino Iacobo de Fossato iudici ut debeat dicere pro se et dicto comuni domino Thome de Sabaudia comiti presente fratre suo domino comite Amedeo et (domino) Bonefacio marchione Montisferrati in consilio secreto communis Astensis, quatenus ipse dominus Thomas debeat (restituere ve)I facere restitui ab hominibus suis comuni et hominibus Montiscalerii predam ablata per homines suos illis (de Montec)alerio eo quod fuit ablata sive capta sub fidancia data per abbatem Secusie vicarium ipsius domini (Thom)e tunc temporis in terra quam habet citra montes et per dominum Qualiam de Gorçano condam et quam fidanciam dedit dictus ab(b)as et dictus dominus Qualia domino Guillelmo Cani et aliis quam pluribus sapientibus civitatis astensis nomine et vice communis Montiscalerii et de qua predicta dictus abbas et alii milites et homines qui erant in servicio dicti domini Thome ad instanciam ambaxatorum communis Astensis restituerunt quasdam bestias bovinas et quia dictus dominus Thomas in responsione quam fecit pluribus ambaxatoribus communis Astensis pro comuni Astensi dedit intelligere eis quod si illi de Montecalero possent probare per testes quod illa preda fuerit sub fidancia capta quod velebat facere de ea plenam restitucionem. Dicit ei iam dictus dominus Iacobus pro parte dicti communis quod paratus erat potestas facere testificari pluribus sapientibus et nobilibus civitatis Astensis quod dictus abbas dederat fidanciam supradictam et dominus Qualia condam dicens verba pro eo potestati et comuni Astensi quounque contramandaretur per ipsum abbatem per litteras suas et post mandatum per octo dies, rogans ipsum insuper dictus Iacobus ut debeat stare contentus dicto solo sapiencium civitatis Astensis amore dicti communis qui noveerunt de dicto negocio veritatem. Alioquin obtulit ei pro parte dicti communis et potestatis quod paratus erat potestas cum sacramento pluribus sapientibus de ipsa fidancia data ut supra dictum est facere dicere veritatem ut adimpleatur responsio iam dicti (domini Thome) sicut eam fecit pluribus paribus ambaxatorum communis Astensis. Et predicta omnia fuerunt dicta per (...) presentibus ambaxatoribus de Montecalero, scilicet Mainfredo iudice et Garronino.

Actum Aste (...) communis ubi consilia celebrantur. Testes: dominus Guido de Sancta Mustiola iudex potestatis et dominus Cursus Sedacius iudex rationis et dominus Berrardus de Solario clavarius.

Et ego Germanus Musa notarius palatinus interfui et iussu dicti potestatis requisicioni iam dictorum ambaxatorum Montiscalerii sic scripsi.